

Missnensi unimus — et incorporamus, ita quod quodocunque dictam ecclesiam per mortem vel liberam resignationem rectoris eiusdem ecclesiae, qui nunc est, vel quovis alio modo vacare contingerit, decanus Missnensis pro tempore perpetuum vicarium ad dictam ecclesiam praeposito Haynensi pro tempore, ad quem ius instituendi in ipsa ecclesia pertinet et ab olim de praescripta consuetudine pertinuit, tenebitur praesentare, cui de redditibus eiusdem ecclesiae talem et tantam portionem debet assignare, quod congruam sustentationem habere ac iura episcopalia et archidiaconalia persolvere et alia incumbentia onera valeat commode supportare. Nam omnia iura episcopalia et archidiaconalia, quae nos et nostri praedecessores ac praepositi Haynenses in dicta ecclesia in Grobir habuimus et habuerunt, nobis et nostris successoribus ac ipsis praepositis Haynensibus in ipsa totaliter reservamus. In quorum omnium testimonium hanc nostram patentem litteram scribi fecimus et nostri sigilli maioris appensione muniri. Datum et actum in Stolpin anno domini M^o. CCC^{mo}. LX^o. XXIII^a. die mensis Aprilis.

Et nos Johannes de Strelis praepositus totumque capitulum ecclesiae Missnensis praedictae supradictis unioni — et incorporationi — dicto decanatu factis nostrum expressum consensum adhibuimus et adhibemus et in evidens testimonium nostri consensus huic litterae sigillum nostri capituli duximus appendendum.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen. An Pergamentstreifen hängen die Siegel des Bischofs und des Capitels.

No. 519. 1360. 30. Apr.

Markgraf Friedrich eignet dem Capitel Zinsen zu Mertitz, welche Agnes von Gorenzk mit Zustimmung ihrer fünf Söhne gen. von Schyricz verkauft und ihrem Lehnherrn aufgelassen hat.

In nomine domini amen. Nos Fridericus dei gratia Thuringorum lantgravius, Mysnensis, Orientalis et Landisbere marchio, comes in Orlemunde dominusque terrae Plysnensis tenore praesentium recognoscimus et publice profiteamur, quod Agnes relicta quondam Vlrici de Gorenzk de consensu et voluntate Henelini, Theoderici, Volferami, Nicolai et Michahelis filiorum suorum dictis de Schyricz, novem sexagenas grossorum latorum cum duodecim grossis et quatuor hallensibus Pragensis vel Fribergensis monetae, cum ovis pullis et caseis infrascriptis annui census in villa Mereticz^a), quae sita est prope Lomacz, (qui quidem census solvitur singulis annis in festis beati Mychahelis et beatorum apostolorum Phylippi et Jacobi, pulli et casei in festo Mychahelis praedicto et ova in festo Pascae solvuntur; quem censum in villa praedicta dicta Agnes nomine dotis seu donationis propter nuptias a nobis et nostris progenitoribus tenuit, habuit et possedit), iusto emptionis et venditionis titulo pro centum et triginta octo sexagenis grossorum cum dimidia et quinque grossis monetae praedictae eidem Agneti et dictis filiis suis iam integraliter solutis in restaurum dotis seu donationis propter nuptias praedictae vendidit et vendiderunt honorabilibus viris dominis Johanni praeposito, Theoderico decano, totique capitulo ecclesiae Mysnensis. Quas quidem

a) Mertitz, Par. Leuben.